

BX 1749

TG

v. 6

1883



FONDO EMMETRIO
VALVERDE Y TELLEZ



Capilla Alfonso
Biblioteca Universitaria

TRACTATUS

DE BONITATE ET MALITIA

ACTUUM HUMANORUM SEQUITUR.

DISPUTATIO XI.

DE BONITATE ET MALITIA ACTUUM INTERIORUM ET EXTERIORUM.

ARTICULUS I.

Utrum bonum, et malum morale sint differentiae per se actus interioris voluntatis?

I. Explicavimus hucusque bonitatem, et malitiam moralem in communi; species ejus, principia unde sumuntur species; accidentia illius, seu principia unde sumuntur, quae sunt circumstantiae. Restat nunc videre, quomodo bonitas ista, seu malitia specialiter applicetur, et conveniat actibus tam interioribus, quam exterioribus, eo quod isti actus taliter se habent, quod unus derivatur ex alio, sicut ex actu imperante, qui est actus interior derivatur actus imperatus, qui est exterior, et consequenter moralitas unius derivatur ad aliam quatenus unus descendit ab alio, et subordinatur illi. Et sic explicare debemus, quomodo in actu interiori inveniatur

THEOLOGIA VI.

bonitas, et quomodo in exteriori, et quis diversus modus sit in uno, et in alio.

II. Et primo occurrit difficultas de actu interiori an ita afficiatur bonitate, vel malitia, quod istae differentiae boni, et mali possint esse differentiae per se, et essentiales talis actus, ita quod sicut habitus, et actus in linea praedicamenti qualitatis dividuntur essentialiter penes spirituales, et sensibiles penes intellectuales, et voluntarios, ita dividantur eodem modo essentialiter penes bonos, et malos moraliter, et sic malitia, et bonitas etiam ipsam actus naturam, et entitatem essentialiter dividant, an vero etiam in ipsis actibus interioribus moralitas importet diversam lineam a natura actus, et in illa solum dividatur penes bonum, et malum, in ordine vero entitativo, et naturali non contrahatur essentialiter per istas species, sed solum accidentaliter comparentur ad actum.

III. Et oportet habere praec oculis id quod saepius in praecedentibus annotavimus, actum interiorem, et exteriorem dupliciter dici. Uno modo ita quod ly interior sumetur pro actu elicitu a voluntate, et in ipsa manente; exterior autem pro actu

003266

elicit a potentia sensibili, et externa, ita quod dicatur actus exterior quasi externus, et manifestus; interior quasi intra voluntatem occultus. Alio modo sumitur interior, et exterior actus non respectus solum diversarum potentiarum, sed etiam in una, et eadem potentia pro actu imperante et imperato, primo et secundo, ita quod actus interior sit prior actus a quo alii derivantur, qui idcirco dicitur interior, quia in ordine actuum non exit ab aliis actibus, nec præsupponit alios actus priores, a quibus exeat, sed alii exeunt ab ipso, et ita est magis intra potentiam, aut intimior illi, seu interior, quia immediatior, si quidem non mediantibus aliis actibus convenit, sed ab ipsa potentia incipit.

IV. Loquimur in præsentia de actu interiori utroque modo, sed principaliter de actu interiori hoc secundo modo, id est, pro actu imperante. Omnino vero excludimus a disputatione actum externum sensibilem, quia potentia a quibus isti actus procedunt, et eliciuntur immediate nec sunt in se capaces internæ libertatis, seu rationis voluntarii, ita quod aliquo modo se voluntarie moveant, et ipsis actibus intrinsecum respectum moralitatis, et libertatis imprimant, sed si quam moralitatem, aut libertatem, seu rationem peccati, aut virtutis dicuntur habere, est solum per denominationem extrinsecam ab interno voluntatis actu movente ad eorum elicentiam derivatam: sicut homicidium, furtum, aut adulterium externum consideratum secundum eas materiales actiones, quibus executioni mandatur, tales enim actiones nihil boni, vel mali moralis habent ex ordine ad suas immediatas potentias, ut patet quando illæmet actiones fiunt ab amente, vel dormiente. Tota ergo libertas, et moralitas intrinsece est in ipsa volunta-

te, et potentiis participantibus aliquid indifferentiæ, et libertatis in ipso suo modo operandi. Quæ vero in modo operandi proprio, et intrinsecopuram determinationem habent quantumcumque subdantur impressioni, et motioni voluntatis non participant ab ea intrinsecam libertatem, licet participant usum, et motionem voluntatis, sed juxta suam capacitatem, sicut etiam baculus, vel gladius movetur a voluntate, et motio illa imprimitur per impulsum intrinsece; sed libertas, et modus libere agendi non imprimitur eis intrinsece, ita quod ipsæ potentia operentur libere, et agant se, sed solum ut obediant moventi libero. Et sic impressio quam recipiunt solum est ad obediendum actioni, et agenti libero, non ad habendum in se libertatem, et libere operandum, aut resistendum: ideoque libertas et moralitas in actibus talium potentiarum solum est denominatio extrinseca, quia solum denominatur talis ab extrinseco dirigente, et movente, quod est liberum, non a proximo, et intrinseco elicente, quod solum est obediens.

V. Cum ergo tota quæstio sit de actibus habentibus intrinsecam moralitatem per tendentiam, scilicet et respectum intrinsecum ad objectum, inquiremus an in actu interiori, id est, imperante, et movente, et qui primo, et per se moralitatem habet ex fine, qui est objectum ejus an talis moralitas in illo actu se habeat, ut differentia essentialis contrahens ipsam entitatem, et essentiam actus in se etiam in ipso ordine, et linea naturæ talis actus; an vero sint accidentales differentia respectu illius actus in esse naturæ considerati.

VI. Hæc difficultas fere videtur resoluta ex multis, quæ supra sparsim tradidimus, in quibus suppo-

nimus moralitatem comparari ad actum in esse naturæ per modum accidentalitatis rationis, et consequenter differentias moralitatis, scilicet bonum et malum non contrahere essentialiter actum in linea, et esse naturæ. Ut autem magis in particulari constet, neque ipsum actum interiorem posse contrahi essentialiter per tales differentias in sua entitate, et esse naturæ, breviter hoc explicabimus.

VII. Fuit ergo aliquorum sententia quod bonitas, et malitiæ sunt differentia ita essentialitatis actibus voluntatis, quod etiam considerando illas in esse naturæ, essentialiter contrahunt quidditatem, et naturam talium actuum, sicut natura ipsa habitus contrahitur per virtutem intellectualem, et moralem, et diversas virtutes morales. Quam sententiam tenet Contradus 1-2, q. XIX, a. 1, et q. XX, a. VI; Ferrariensis III contra gentiles, c. 1; Capreolus in II, dist. XL, q. 1, conclus. III, aliisque antiquioribus attribuitur. Et quod caput est, videtur esse expressa sententia S. Thomæ in II, dist. XL, quæstione unica, art. I, ubi inquit: « Quod quæ pertinent ad aliquod genus distinguuntur per se differentias illius generis, sicut albedo, et nigredo per se distinguunt colorem, quæ autem per accidens pertineant ad illud genus, distinguunt per accidens, sicut clavis, et cultellus conveniunt in eadem substantia physica ferri, licet differant in genere artificiali. Actus autem voluntatis per se pertinent ad genus moris, et ita per se dividuntur illo genere boni et mali, actus vero aliarum potentiarum a voluntate per accidens dividuntur per bonum, et malum morale. » Idem videtur docere S. Thomas in hac quæstione XIX, a. 1, ubi docet: « Bonum et malum, esse differentias per se actus voluntatis, quia

pertinet bonum et malum, per se ad actum voluntatis sicut verum et falsum ad intellectum cujus actus per se distinguuntur vero et falso, sicut dicimus opinionem veram et falsam. » Constat autem verum et falsum per se distinguere entitatem actus intellectus, ergo etiam verum et bonum entitatem voluntatis, quia ita per se comparatur ad entitatem actus voluntatis bonum quod est per se objectum ejus, quam ad intellectum ipsa veritas objectiva, quæ est ejus objectum. Differentia autem, quæ sumuntur ex parte objecti distinguunt objectum etiam entitative, et quidditative.

VIII. Nihilominus tamen conformiter ad ea quæ sæpius a nobis in hoc tractatu dicta sunt, nunquam possumus affirmare, quod ratio voluntarii, seu liberi, et ratio moralis se habeant, ut superius et inferius, ut genus et differentia, et consequenter neque posse differentias morales boni et mali distinguere actum voluntatis præcise consideratum in esse naturæ, sed ut regulabilem, et humanum, sic enim moralis est. Hoc autem quod est esse regulabilem, per se quidem convenit actui voluntatis, ut voluntarius, et liber actus est, sed per se in secundo modo, non per se primo modo, id est, sicut proprietas convenit essentialitatis, non sicut differentia convenit speciei. Actibus autem, qui non sunt per se voluntarii, sed per accidens, et ex directione, seu motione voluntatis solum convenit talis moralitas per accidens, seu per aliud, quia solum convenit regulabilitas ista actibus voluntariis, ut voluntarii sunt, seu a voluntate.

IX. Hæc conclusio sine dubio est D. Thomæ, qui perpetuo distinguit bonitatem naturalem, seu quoad substantiam in actu voluntatis, et bonitatem moralem, et diverso modo dividit atque distinguit actus

ut voluntarios, atque ut morales, licet hæc moralitas comparetur ad illam rationem voluntarii, ut proprietas ad essentiam. Nam quod actus in ratione voluntarii possit quoad substantiam esse bonus, et quoad moralitatem malus, constat in ipso actu peccati, etiam interiori et immediate a voluntate elicit, quod in sua substantia est quoddam bonum, et a Deo, ut docet S. Thomas infra quæst. LXXIX, et tamen in genere moris est malus, nec potest ista malitia contrahere tamquam differentia illam honitatem, ut genus. Similiter frequenter docet S. Thomas posse actum in genere naturæ esse ejusdem speciei, et in esse moris ad diversas pertinere, ut patet in occisione, quæ si sit propter vindictam est in specie injustitiæ, si propter justitiæ ordinem est in specie justitiæ. Eadem autem ratio est, et multo a fortiori de voluntate occidendi, ac de ipsa externa occisione, cum hæc non sit per se in specie justitiæ, vel injustitiæ sicut illa. Idem aperte docet in quæstione XVIII, art. VII ad primum: « Actus, inquit, qui secundum substantiam suam est in una specie naturæ, secundum conditiones morales ad duas species referri potest. » Si autem moralis bonitas, vel malitia essent differentiæ per se actus considerati in esse naturæ, non posset manere una species in esse naturæ advenientibus pluribus differentiis moralibus.

X. Generaliter etiam docet S. Thomas I p. quæst. XLVIII, bonum et malum solum esse differentias actus moralis non entitatis rei. Similiter tradit diversas species actuum voluntatis quatenus voluntarii sunt a quæstione XI usque ad XVII, alias vero species moralitatis tradit quæst. XVIII et deinceps quando agit de virtutibus, et vitiis. Species actus voluntatis sunt fruitio, simplex vo-

luntas, intentio electio, usus, etc. Et ex parte passionum amor, timor, tristitia, delectatio, spes, ira, etc. quæ etiam in voluntate distinguuntur, licet non per modum passionum: alius enim est actus fugæ, ut odium; alius dilectionis, ut charitas; alius expectationis, ut spes, etc. De speciebus autem actuum moralium sub ratione moralitatis, agit in quæstione XVIII, quantum ad rationem boni et mali in communi, et postea de virtutibus et peccatis, et in secunda secundæ, de singulis speciebus virtutum et vitiorum. Sequuntur communiter hanc sententiam Thomistæ, eademque sententia attribuitur Scoto in I, distin. XVII, quæst. II; Bonaventuræ in II, dist. XLI, art. I, quæst. II; Durando dist. XL, quæst. III; Majori dist. LXI, quæst. II, parte II, et communiter recentiores.

XI. Fundamentum hujus conclusionis sumitur, tum a priori, tum a posteriori. A posteriori quidem, quia sicut in actibus exterioribus invenitur diversa species actionum naturalium cum eadem specie moralitatis, et e contra, ita invenitur in ipsis actibus voluntatis diversa species in entitate, et natura actus cum eadem specie moralitatis, vel e contra. Ergo non potest species moralitatis, verbi gratia bonitas, vel malitia essentialiter contrahere ipsum actum in esse naturæ consideratum. Consequentia est manifesta, quia si differentia moralis contraheret essentialiter actum in esse naturæ, oportet quod natura actus se haberet ut genus si quidem contrahitur ab illis, ut a differentiis, et semper id quod naturæ est supponitur moralitati non e contra. Si autem entitas actus in esse naturæ se habet ut genus, et ut essentialiter contrahibile per differentias moralitatis, oportet quod diversificatis differentiis, seu speciebus non

maneant unum genus, seu entitas illa, et diversificata entitate non manet una species moralitatis, ut patet in quocumque alio genere, et differentiis; si enim animal contrahitur, et dividitur essentialiter per differentias rationalis, et hinnibilis, et rugibilis, non potest manere una entitas, et species animalis stantibus diversis speciebus hinnibilis, et rugibilis, aut manere una species manente diversitate animalis, quod est genus, quia essentialiter differentie ita dividunt genus quod constituunt diversas essentias, seu naturas, atque adeo ipsum genus non relinquunt unum, aut e contra si constituunt unam naturam non relinquunt genus diversificatum.

XII. Antecedens vero probatur manifeste, quia sicut videmus in homicidio, quod sunt diversæ speciei actiones in esse naturæ jugulatio, contusio, combustio, congelatio, etc. et tamen in esse moris si occidant hominem sunt peccatum ejusdem speciei, ita in actibus interioribus fuga et persecutio, amor et odium, commissio et omissio, intentio et electio sunt diversi actus in genere naturæ, et tamen in genere moris possunt esse ejusdem speciei, sicut omissio largiendi eleemosynam pauperi, et commissio congregandi illicite pecunias pertinent ad eandem speciem avaritiæ, ut docet S. Thomas infra quæstione LXXII, art. V. Et odium peccati prout oppositi Deo, et amor ejusdem Dei sunt actus ejusdem virtutis charitatis, et tamen in esse naturæ sunt diversæ speciei, scilicet odium et amor, et circa diversa objecta entitative, scilicet peccatum et Deum. Similiter intentio dandi eleemosynam, et electio dandi isti pauperi, et imperium, vel usus applicans ad executionem sunt actus entitatis diversi in specie, et tamen omnes habent eandem speciem

moralitatis, scilicet ejusdem virtutis eleemosynæ.

XIII. E contra etiam idem actus voluntatis potest plures malitias specie diversas habere, ut quando quis intendit se vindicare de altero per homicidium, et falsum testimonium, seu per homicidium, et rapinam bonorum, aut adulterium, ita quod non vult sistere vindictam suam in uno tantum, sed in pluribus damnis, et hoc intendit unico actu, licet subordinando omnia illi uni fini, qui est vindicta; aut etiam quod pejus est, qui vult aliquem occidere in actuali peccato, ut non solum moriatur, sed etiam damnetur, aut qui vult publice fornicari, ut alios provocet ad malum: tales actus sunt unum entitative, et in esse naturæ, quia est unus actus in singulari, et tamen habent plures malitias specie diversas, ut est homicidium, et adulterium, aut rapinam, aut scandalum, et pertinent ad actum interioris voluntatis, scilicet ad actum intentionis; ergo respectu actus interioris in esse naturæ considerati moralis bonitas, vel malitia non sunt differentie essentialiter.

XIV. Et ratio a priori sumitur ex ipsa natura, et formali ratione moralitatis, quæ non est aliud, quam regulatio actuum liberorum in ordine ad rationem, et ad legem, quæ est regula ipsorum, sicut artificium est regulatio rerum factibilium penes ideam artis. Quare sicut ars supponit materiam, quam artificiose perficiat, et omnis mensuratio supponit mensurabile, quod adæquet, et subjiciat mensuræ, ita regulatio moralis supponit materiam quam regulet, et mensuret, quia omnis mensuratio, et regulatio super aliquam materiam debet cadere. Materia autem regulabilis non se habet, ut genus essentialiter contrahibile per mensurationem, sicut

in arte si lignum, aut ferrum, aut argentum fit vas artificiosum, non est ipsa natura argenti, vel ferri genus vasis metaphysicum, et prædicamentale subjectum, nec vinum, aut oleum, quod mensuratur est genus ipsius mensurationis, sed materia, et subjectum. Constat autem non solum actus exteriores, aut sensibiles, sed etiam interiores ipsius voluntatis indigere regulatione rationis in quantum liberi sunt: quia si stat pro ratione voluntas, est contra omnem rationem et legem. Ergo isti actus voluntatis interiores etiam indigent regulari a ratione, et habent se sicut materia moraliter regulabilis, et ipsæ morales differentia se habent ut regulationes ejus; ergo non contrahunt ipsam naturam actus tamquam genus essentialiter, sed ipsam tamquam materiam regulabilem mensurant, et perficiunt, et sic adveniunt illi, sicut regulatio artis materiæ artefactorum, et mensuratio rebus mensurabilibus.

XV. Solum est advertendum, quod quia non eodem modo res omnes mensurantur, neque eodem modo res artificiales autem suscipiunt, sic nec eodem modo regulantur actus immanentes, et eliciti sive in ratione artificiali, sive in ratione morali, sicut res factibiles, et materia externa, vel actus sensibiles. Nam materia externa recipit regulationem artis mediante aliquo motu locali mutante, aut perficiente, sicut et figuram externam, aut mediante aliqua addensatione, vel rarefactione, aut alio motu alterationis, ut cum coquitur panis, vel cibus, aut fit vitrum, vel alia similia. Actus etiam sensibiles externi solum recipiunt artificialem, vel moralem regulationem per denominationem extrinsecam, ut diximus, sicut cantus, vel saltatio artificiosa, quæ præter motum localem non habet ab arte formam in-

trinsecam: nam si casu sine arte fieret motus ille, eandem intrinsecam perfectionem haberet, et actus exterior peccati non habet intrinsecam libertatem, et consequenter, nec regulationem. At vero actus interni, et immanentes, participantesque intrinsece libertatem, et ordinem ad objectum, totum quod habent regulationis et mensurationis, sive in moralitate, sive in artificio, habent per ordinem ad suum objectum, inde enim actus denominatur talis, vel talis moralitatis, verbi gratia bonus, vel malus, huius vel illius peccati: quia tale objectum attingit, juxta illud Osee ix: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*, eodem modo dicuntur actus intellectus artificiose disponi, quia attingunt objecta artificiose disposita, ut cum scientiæ procedunt per demonstrationes artificiosas, nec enim artificium illud est aliquid impressum, et superveniens actibus, sed est attingentia objecti sub aliquo artificiali modo dispositum.

XVI. Et hujus ratio est, quia regulatio ista tam moralis, quam artificialis in actibus immanentibus, et elicitis, est aliquid vitale per modum actus secundi, cujus totum esse est tendentia, et ordo ad objectum, a quo totam perfectionem, et specificationem ebibit: ergo artificialis, vel moralis forma, seu ordo in istis debet competere ipsi actui per modum tendentiæ, et habitudinis ad objectum, alias non conveniret ei tamquam actui secundo vitali cujus totum esse est ordo, et tendentia circa objectum, nec potest in se specificationem, sive essentialem, sive accidentalem habere, quæ non desumatur ab objecto, ut a termino specificante, et circa quod versatur talis actus. Sicut ergo materia inanimata, et quæ nomine rei factibilis comprehenditur, recipit in

se passive formam artis, quæ sibi per ideam artificis imprimitur: quia illa materia cum sit inanimata, nec sit actus qui versatur erga objectum, non aliter disponitur, et perficitur ab arte, nisi recipiendo aliquam formam, ita quando materia regulabilis, et mensurabilis, sive per artem, sive per morem est actus vitali modo tendens ad objectum, et cujus totum esse est tendentia ad illud, non potest artificiose disponi, aut regulari moraliter, nisi per ordinem ad objectum, eo quod actibus istis nihil potest convenire, quod ipsos perficiat in ratione actus nisi per tendentiam, et ordinem ad objectum, ad quod totum esse eorum est ordinatum, licet non omnia, quæ in objecto relucent, essentialia sint actui; sed aliqua etiam se possunt habere, ut modificationes, aut accidentales conditiones habentes, attinguntur tamen ab actu per tendentiam, et respectum realem ad objectum, ut magis statim declarabitur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVII. Primo arguitur: Quia actus intrinsece elicited, et procedens a voluntate, et præsertim interior, qui versatur erga finem, et imperat aliis etiam in esse naturæ consideratus, versatur erga bonum tamquam erga objectum specificativum et essentialiale, et non circa bonum necessarium et determinatum, sed indifferens et liberum, nec irrationabile et sensibile, sed a ratione propositum. Ergo totum hoc cadit sub linea, et ordine illius actus in sua entitate considerati, nec enim aliam entitatem, et naturam habet ille actus, quam tendentiam voluntariam, et liberam in objectum.

XVIII. Si dicatur objectum illius actus in esse naturæ esse bonum ut

appetibile, non autem regulabile, sic enim est objectum actus ut moralis, et humani, seu mensurati, quæ ratio est accidentaliter comparata ad primam, contra est, quia etiam illa bonitas ut moralis, seu regulabilis a ratione est quædam species bonitatis contenta sub universali ratione boni, quæ est objectum voluntatis, non minus quam aliæ bonitates speciales, quæ diversos actus terminant, et specificant; ergo sicut diversæ bonitates entitative consideratæ terminant, et specificant diversos actus entitative sumptos, ita etiam moralis bonitas potest esse objectum terminans, et specificans aliquem actum voluntatis entitative consideratum. Cur enim omnia alia objecta habentia bonitatem possunt specificare diversos actus entitative consideratos, et hoc solum objectum, quod est bonitas moralis non poterit suum etiam actum specificare, et terminare entitative sumptum? Nec enim ad specificandum actum entitative requiritur bonitas vera, et intrinseca objecti, sed sufficit extrinseca et ficta, ut patet cum appetimus aliquid fictum, aut quod est denominatio rationis, ut esse judicem, esse doctorem, et similia. Et intellectus per actus entitativos, et veros ferri in ipsum ens rationis constat, cum suis actibus illud formet, et ab eo possit specificari.

XIX. Confirmatur, quia sicut in intellectu distinctio, et differentia actuum penes scientificos, opinativos, erroneos, etc. est differentia intrinseca distinguens ipsos actus entitative, et in esse naturæ, ita differentia in voluntate penes actus virtuosos, et vitiosos debet esse differentia contrahens ipsos actus in linea, et ordine naturæ, quia ad hoc ipsum ordinatur natura actus voluntatis, ut sit virtuosus, vel vitiosus, nec enim alias differentias essentialia-